

arrogare. Sin humilitatis oblitus quispiam, audeat inde aliquid sibi asserere & usurpare, eum certum est gratiæ divinæ jacturam facere, & sacrilega impietate se cōmaculare. Sit pro exēplo quod dicam. Qui Spiritu, arte, sapientia, intellectu, opibus, & splendore estis notabiles, eum honorem vobis ne vindicate, sed Deo ex intimis animi sensib<sup>9</sup> restituite: id quod tunc effectū dabitis, si nulla re fueritis gloriati; juxta illud Jerē. 9. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & nō gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur scire & nosce me, quia ego sum Dominus qui facio misericordiā & judicium & justitiam in terra, hac enim placēt mihi, ait Dominus.*

## CAPUT XXIII.

EUM QUI SE IPSUM ET SUAM vilitatē ignoret, nec soli Deo omnem honorem tribuat, committere peccatum gravissimum, & diaboli lapsum iterare.

Psal. 39. *Veruntamen universa vanitas omnis homo vivens.*

**Q**UAM vanitatem ut homo agnosceret, idcirco illum idem Psalm.

*Homo est Umbra.*